



Sommerblumen

J-

1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19  
20  
21  
22  
23  
24  
25  
26  
27  
28  
29  
30  
31  
32  
33

Nr.	Brephile's	
1	Engelbrecht	de genuinis Decis. iuris fontibus in for. Ferm.
2	Brenneisen	- utilitate studii hisp. in jurisprudentia.
3	Schmalz	- legum et consuetud. fontibus praeponitis
4	Mulliner	- fatis studii iuridicū
5	Brannemann	- compendiaria docendi jurispr. via.
6	Gallenborg	- particularis juris Mohamedici.
7	Suendenborst	- Resolutio Corporis iuris fact.
8	Eyben	- Autoritate iuris Iustinianei.
9	Schart	- legibus.
10	Lindh	- nigro.
11	Shilter	- Sublimi patriciatus honoro.
12	Falekher	- Adoptionum iure.
13	Arac	- iure p̄r. nat. in factu civili.
14	Gryck	- derogatione future dispositiones.
15	Strauch	- ad leg. qd. de jactu
16	Stoefer	- iure commerciorum rectius de negotiis
17	Ziegler	- iure commerciorum.
18	Coccoji	- pretio effect. et amoenitati.
19	Lehmann	- poena chironum.
20	Beyor	- protectoribus opificiis.
21	Shilter	- aquifit. dominie derivativa facto homini.
22	Bechmann	- iure consiliorum.
23	Coch	- donationibus.
24	Simon	- clonationibus.
25	Hohefel	- Specificationibus.
26	Homfeld	- rebus derelictis.
27	Beyer	- restaurat. donus rufose.
28	Schultz	- rebus mere facultatis
29	Laubelbach	- irrandibz
30	Thomaſſil	- diff. orer anterioris ac m. pacto de retro. Et c. p̄p̄n
31	Shilter	- poenitentia ex contumacia in nomine dicitur.
32	Torrage	Von Limpurgi bruit de facieibus.



2. D. B. V.


PROGRAMMA  
DE  
**PHILOSOPHIA**  
**JURISCONSULTO.**  
**RUM STOICA,**

in  
**REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA**  
propositum,  
occasione

**LECTIONUM PRIVATARUM**  
hac æstate V.D. Anni 1701. habendarum  
ab  
**INFRA NOMINATIS.**

PHILIPP  
PHILIPPI  
RUM STOICA

REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA  
BIBLIOTHECA  
LIBRARIA  
IMPERIALIS  
IMPERIUM ET IMPERIA  
TITULUM MONUM



Vi ad Jurisprudentiæ nostræ studium accedunt illudque interpretari annituntur, duas in classes generatim haud merito dividi posse videntur. Quidam enim levi brachio illud ipsum aggrediuntur contenti, si ex aliorum scriptis & doctrinis sapient. Quidam vero rem ex suis propriis enucleare fontibus student non tam respicientes, quidam communiter tradi soleat, sed ita se gerentes, ut legitimis interpretationis adhibitis regulis in fundamentum inquirant. Eodem in præsentia latari possumus, quod inciderimus in ejusmodi tempora, ubi Doctores celebriores classi secundæ sese adscribentes indefessis laboribus eo rem perduxerunt, ut infinitis tenebris discussis ad lucem veritatis pervenire eo rectius jam possumus. Illud interea a pluribus jam observatum fuit, multum adjumenti afferre interpreti cognitionem variarum hypothesium, ex quibus Jcti Romani conclusiones suas deduxerunt. Hoc enim constat non eadem veteribus JCris principia fuisse, quin, sicuti in varias Sectas multi transierant, ita quoq; diversas hypotheses sæpe inter se fovisse & inde in oppositas sæpe dilapsos fuisse conclusiones. In eo tamen magis inter se conveniebant, quod plerique Jctorum Philosophiam Stoicam exolerent, & in primis, quantum ad Moralia, principia inde peterent, quippe quæ non poterant non Ethnicis atridere, id quod Schilterus (a) aliisque jam ostenderunt. Et quid opus est verbis, cum tam infinita exempla in jure nostro occurrant, quæ meras conclusiones & hypotheses ex hac Philosophia contineant, & inde unice genuinam suam recipient interpretationem. Hut  
jus

[a] In Manud. Philos. Mor. c. 1. §. 5. seqq.

jus observationis neglectus non potest non contortas explicaciones parere, & quantas adhuc pepererit, res ipsa loquitur. Plerumque enim ubi Jcti ex singulari Stoicorum hypothesi conclusiones formarunt, quæ cum Peripatetica schola principiis subsistere nequeunt, mirifice se Doctores torsisse animadvertisimus, quando ejusmodi leges secundum normam Philosophiae Aristotelicae, quæ unica tunc omnium fere occupaverat animum, enucleare & veram dissonantiam ad concordiam coactam & violentam deducere laborabant. Res ipsa exemplis fiet clarior. Intuentibus vel solum tit. i. in ff. de Just. & jure. in singulis fere §§ fese sponte offerent talia exempla, quæ unice ex Philosophia Stoica interpretanda sunt. Ne jam aliquid moneam de derivatione juris, quam Ulrianus a justitia deducit more Stoico observante Schiltero, (b) nam hoc leve est; tantummodo ad famosam illam definitionem juris Naturalis provocabo, ubi si Commentarios evolvimus, in ejusmodi labyrinthum incidimus, unde egredi vix datur. Vident enim interpres, vix comode illam definitionem posse defendi ex principiis Philosophiae communis, qua imbuti sunt, & tamen Stoicæ Philosophiae principiis destituti frustra omnem movent lapidem, ut hanc ipsam ab absurditate libarent. Convenit vero optime cum principiis Stoicis, quod nec diffinetur ipse Huberus in digressionibus suis (c) Duo scil. occurunt in definitione hac consideranda 1.) quid intellexerint Stoici per Naturam 2.) cur animalibus jus Naturale adscripserint. Quid per Naturam intellexerint explicat Stoicorum facile Princeps Seneca (d) inquiens: *Quid aliud est Natura quam Deus & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta.* Neque vero plura hic ex Stoicis allegare opus esse censeo, cum jam ab aliis ut Justo Lipsio (e) Excell. Dn. Budeo (f) id ipsum ad oculum demonstratum. Deducit simul nos illud Senecæ effatum ad causam ipsam, cur jus Naturale adscribi possit bestiis. Nimirum divinam illam essentiam diffusam per omnia corpora, & toti mundo insertam esse censemus, diverso modo tamen fese exserentem aliter quidem in hominibus aliter in bestiis. Hinc non poterant non rationem adscribere ipsis bestiis, & ita jus Naturale adjudicare eis quod & ipse Pufendorfius optime observavit. (g) Ex hoc fundamento deduxerunt postea homi-

A 2

nes.

(b) cit. l. §. 7. (c) lib. i. c. ii. §. 2. (d) IV. De Benef. c. 7. [e] Stoic. Phys. fol. lib. I. c. 5. (f) dissert. i. de Error. Stoic. §. 2. seqq. (g) lib. 2. c. 3.

S. 2.



nes inter se esse cognatos; quia unius animæ essent facti participes. (h) Florentinus ICtus (i) idem inculcat, dum hominem homini insidiari nefas esse concludit, quod *inter nos cognitionem quandam Natura i. e. DEUS, confinxerit* quæ sententia sano sensu accepta admitti potest, sed cum intimius fontem ejus, unde propullaverit, indagemus, sub ve-  
ste pulchra putidum latitat corpus judice Dn. Budeo. (k) Neque tan-  
tum in hominibus & bruris hæc Stoicorum substitut assertio, sed toti  
mundo rationem divinam seu spiritum divinum vel mentem attribue-  
runt. Præter Senecam hoc testatur ipse Zeno (l) afferens, Deum esse spi-  
ritum δινον δι θλε τε κόσμος. Haud a veritate nos aberraturos puta-  
mus, si dixerimus Paulum (m) huc respexisse, dum discernit illa, quæ  
ex distantibus corporibus sunt ab illis corporibus, quæ uno spiritu con-  
tinentur. In qua sententia quoque fuisse videtur Pomponius (n) tria  
genera corporum recensendo, unum quod continetur uno spiritu, al-  
terum quod ex contingentibus constat, tertium quod ex distantibus.

De generatione non nasci animas sed insinuari in corpora doce-  
bant teste Lactantio (o) h. e. non in utero concipi animam sed extrin-  
seco imprimi. Hinc foetum in utero partem ipsius uteri esse, non ani-  
mal asserabant, (p) Non alienus ab hac sententia fuisse videtur Ulpianus  
(q) inquiens: *partus antequam edatur, mulieris portio est viscerum*  
& Papinianus (r) partum nondum editum hominem non rectè dici put-  
tat, & alio loco (s) Ulp. talen in rebus humanis non esse diserte fate-  
tur, interim tamen ita fingi. (t)

Sed revertimur ad tit. ff. de J. J. ubi deprehendiimus definitio-  
nem Justitiae, quæ secundum Ulpianum (u) dicitur *constans & perpetua*  
*voluntas jus suum cuique tribuendi*. Ubi Vultejus (x) hic describi justi-  
tiam aliquam divinam autumat. Bachovius (y) intelligit justitiam in ab-  
stracto consideratam. Alii (z) defectus nonnullos in ea annotant & quis  
omnes conglomeraret opiniones. Sed incertæ & fluctuantes sunt ple-

[h] Dn. Budeus c. l. (i) in l. 3. de J. & J. (k) cit. l. [l] Just. Lips. l. 1.  
Physiol. Stoic. c. 7. (m) l. 24. § 5. ff. d. rei Vind. [n] l. 30. pr. ff. de Il-  
fuc [o] Lips. c. 3. c. 18. [p] Lips. cit. l. lib. 3. diff. 7. (q) l. 1. § 1. de in-  
spic. Vent. [r] l. 9. in f. ff. ad L. Falcid. [s] l. 10. § 1. d. d. V. & P  
subst. (t) l. 7. pr. d. Ventr. in poss. [u] l. 10. pr. de J. et J. (x) ad pr. de  
J. & J. n. 6. [y] ad Tr. Vol. 1. d. 1. tb. 1. lit. b. (z) Rachel. disp. de Just.  
universali tb. 6. seqq.

rorumque conjecturæ. Rectius hac in re se gesisse videtur Adrianus Turneb. (aa) afferens Ulpianum hic fuisse æmulum Stoicorum, qui ut vitium inconstititia, ita virtutem constantia metiri solebant, videlicet *summum bonum in habitu virtutis* collocantes. Id aperte Cicero [bb] fatetur inquiens: *Zeno primus non virtutis usum modo ut superiores, sed ipsum habitum per se esse præclarum differuit.* Nec tam en virtutem cuiquam adesse, quin ea semper uteretur. Evidenter Seneca [cc] *Summum bonum in ipso judicio est & Habitu optimæ mentis & alibi (dd)* Beatum illud in uno loco positum est in ipsa mente stabila grande tranquillum. Unde rursus Cicero ex mente Stoicorum [ee] virtutem ait esse *constantem & perpetuam vita rationem & alibi (ff) in solis virtutibus inesse scientiam stabilem atque immutabilem.* Supposuerunt vero porro, virtutes inter se nexus esse (gg) hinc unicuique virtutem necessario eandem formalem rationem attribuere debebant, præsertim quatuor *virtutibus cardinalibus*, quas tantopere urgebant & in pretio habebant, inter quas quoque refertur *justitia*. Hinc nescio, an bene illi faciant, qui ex Aristotele hanc ipsam illustrare satagunt, cum hic (hh) evidenter contrarium afferat, felicitatem scilicet *non in possessione sed usu virtutis, neque in habitu sed actione esse*, quo etiam Huberus [ii] collimare videtur.

Deinde occurrit definitio *Jurisprudentia* (kk) ubi rursus variae comprehenduntur difficultes quomodo *Jurisprudentia* possit dici *scientia & notitia*, quomodo *res divina* intrare possint objectum *Jurisprudentiae* &c. ? Sed Stoici & horum Æmuli ICtri Romani non ita separabant prudentiam a scientia uti Aristotelica Philosophia addicti. Evidenter id patet ex loco Plutarchi quem refert Lipsius (ll) ubi ita: *Quid est bonum? non aliud quam prudentia. Quid prudentia? Non aliud quam scientia.* Inde & Seneca (mm) *sine scientia divinorum humanorum, beatum effici non posse* afferit. Cum itaque justitiam finem *Jurisprudentiae* esse intelligebant, illam vero esse virtutem cognoverant, & per *summum bonum* indigitabant, simul quoque talem definitionem *Jurisprudentiae* efformabant, quæ huic fini, *justitia*, esset aptissima. Unde & Philoso-

[aa] lib. 8. advers. c. 20. (bb) lib. 1. Acad. (cc) de Vita Beata c. 9. [dd] Epist. 74. (ee) lib. 1. de LL. (ff) lib. 4. Acad. [gg] Lipſ. Manud. ad Philos. Stoic. lib. 3. diff. 4. (hh) lib. 1. Ethic. c. 8. [ii] Huber. præl. ad ff. de J. & J. §. 1. inf. [kk] in l. 10. §. 1. de J. & J. [ll] Manud. ad Pbil. Stoic. lib. 3. diff. 3. (mm) Epist. 74.

phiam suam per humanarum & divinarum rerum scientiam definiebant,  
& ipse Cicero (nn) amicitiae definitionem inde extruxisse videtur.

Ad alia jam transeundum esset, nisi brevitas, qua intercludimur, institutum prohiberet. Illud tamen saltim adhuc monebimus quod Ulp. in l.9. §.7. de pecul. afferit, *Licere servis naturaliter in corpus suum seire*, omnino dogma Stoicum supponere fatentibus, Wissembachio (oo) & Ungepauero. *Αὐτοχειρίας* enim secundum Stoicam philosophiam fuisse licitam, ipse faterur Huberus (qq) hanc legem alias defendens, & pluribus deducit Lipsius (rr) Quamvis vero Huberus respondeat, videndum esse non quid Ulpianus sentire potuerit & quid veteres pagani existimaverint, sed an hic locus etiam necessario contineat approbationem *αὐτοχειρίας*, tamen qua ratione, si regulas bona interpretationis adhibere velimus, hic locus aliter interpretari possit, non videmus. Communiter quidem urgeri solet, leges non amplius esse considerandas ut Ulpianaeas aut Paulinas, sed ut Justinianeas, quod hic Imperator omnia sua fecerit. Verum ita incidimus in Scyllam si volamus vitare Charybdim. Quomodo enim tales Leges, quæ Stoica principia pro fundamento habent, secundum Imperatorem sunt intelligenda? Quærere enim licet, cuinam scētā fuerit addictus hic Imperator, an Stoicæ an Peripateticæ, an alii? Antequam id enim expeditum fuerit, anticipites hæremus quomodo leges Paulinas Ulpiananeas aut aliorum ICtorum secundum Imperatoris mentem, quam divinare non possumus, interpretari valeamus.

Hæcce præfari placuit de Stoica Veterum ICtorum Philosophia, unde satis apparebit, plurimum ad genuinam explicationem legum Romanarum illa adminicula conducere. Et cum mens nostra semper fuerit, eo annitendi, ut genuinum legum sensum in Collegiis nostris eruueremus; hinc etiam eadem methodus futuris quoque nostris laboribus mensuram præbebit; de quibus ut eo rectius constet, non dubitavimus in præsenti seriem Nostrorum Collegiorum, ex recepto in Academiis more, exponere, freti cum benevolentia illustris Facultatis juridicæ, tum Generosiss. ac Nobilissimorum Dnn. Commititonum favore.

JACO-

(nn) de Amicit. (oo) comment. ad tit. de Pecul. lib. ii. (pp) diff. de error. Justinian. §. 23. (qq) in Eunomia ad cit l.9. (rr) Manuduct. ad Phil. Stoic. lib. 3. diff. 22.

JACOBUS BRUNNEMANNUS, J.U.L. Pro pediem colophonem imponet Collegio Juris publ. Schwederiano. Absolvit etiam fere dimidiam partem Collegii Disputatorii in quo ventilantur selectæ Controversie Gymnasi Polemici Dn. Menckenii. Hoc vero æstivo tempore B. Struvii Jurisprudentiam Romano Germanicam explicabit. Ad textum Institutiorum Imperialium explicandum denuo se accinget unam aut duas horas examini & repetitioni carundem destinans. Perpendens etiam secum utilitatem crebri exercitii disputatorii, propoluit sibi dissertationes de Ratione Status olim ab Illustri Dn. Cancellario de Jehna editas in Cathedrâ denuo deducere, simul ac finis impositus fuerit XII. dissertationibus Juris publici maximam partem jam absolutis, quæ & in causa fuerint, cur promissa ventilatio tractatus laudati de Ratione Status in priori programmate facta differenda fuerit. Cæterum non deerit Generosiss. & nobiliss. Dn. Commilitonibus in aliis partibus juris, sive privatim sive privatissime hoc desiderabitur.

JUSTUS HENNINGUS Böhmer J. U. L. adhuc occupatus fuit in collegio examinatorio Lauterbachiano, & cum nonnulli simile collegium examinatorum expeterint, operam dabit, ut & horum desiderio quam primum satisfacere possit. Cæterum Collegium ad Institutiones Justinianæ hac æstate V. D. auspicabitur, annexa Juris Naturæ interpretatione in quem finem Hugonem Grotium, de Jure Belli ac Pacis elegit: In aliquo Honoratissimis Dn. Commilitonibus non defuturus.

JACOBUS FRIDERICUS LUDOVICI, J.U.L. elapsò semestri hyberno non modo Pandectarum sed Institutiones ad Methodum Dn. Hoppii & Dn. Beyeri Auditoribus suis diversis horis privatim prælegit, illisq; lectionibus tandem quoque jus feudale adjunxit. Hac vero æstate ex Auditorum desiderio ad explicationem Pandectarum denuo se accinget ejusdem Dn. Beyeri methodum & facilem & accuratam hic pariter fecuturus. Tandem quoque circa festum Pentecostes, si tempus suppetit, integrum cursum juris de novo auspicabitur & de cætero in quibusvis jurisprudentia & publicæ & privatæ paribus Honoratissimorum Dn. Commilitonum desideriis promptissime assurget. Faxit Deus feliciter!







HFB 153 961

TD 17







6

*Q. D. B. V.*

**PROGRAMMA**  
**DE**  
**PHILOSOPHIA**  
**JURISCONSULTO.**  
**RUM STOICA,**  
in  
**REGIA ACADEMIA FRIDERICIANA**  
**propositum,**  
**occasione**  
**LECTIONUM PRIVATARUM**  
**hac aestate V. D. Anni 1701 habendarum**  
ab  
**INFRA NOMINATIS.**